

R. D. Maj. Ut respondeant immediate per se ipsos N. vel immediate per se, vel mediate per alios C. Item, ut consensus sit præsens physice N. moraliter C. Moraliter est præsens per procuratores; physica autem præsentiâ nullibi præcepta reperitur.

295. Dices 2°. Ergo sponsus dormiens posset valide administrare hoc sacramentum, ut si contingat sponsum in Germania existentem dormire, quando procurator ejus nomine contrahit in Italia: atqui hoc videtur absurdum.

R. N. min. Quia sicut sponsus, vel sponsa potest inire dormiens contractum hunc per procuratorem, sic etiam per illum ministrare hoc sacramentum. Et sicut non est absurdum, quod, qui ante somnum habuit intentionem suscipiendi baptismum, vel patendi martyrium, si dormiens baptizetur, aut occidatur, recipiat gratiam in somno.

296. Dices 3°. Nullum est matrimonium, quod fit ab ebrio, licet ille præviderit se in ebrietate contracturum; ergo pariter nullum erit matrimonium, quod per procuratorem contrahitur, dum dormit principalis.

R. N. Cons. Disparitas est; quia prior nunquam actu humano libero contraxit, vel consensum dedit, licet, cum liber esset, contractum pure verba-lem in ebrietate secuturum præviderit; imo etiam in ebrietate contrahere intenderit, quia in ebrietate non perseverat moraliter intentio vel consensus ad efficiendum contractum vel sacramentum sufficiens. E contra in altero casu principalis liber et rationis compos dat mandatum procuratori ceu instrumento vitali; unde licet dormiat principalis, imo ebrius sit, adhuc in eo persistit intentio virtualis, existens in mandato prius dato; intentio autem virtualis ut in aliorum sacramentorum ministris sufficit, ita etiam hic; et sic principalis contrahendo per procuratorem confert gratiam, et simul recipit, nisi per peccatum mortale ponat obicem, non minus, quam qui baptizatur dormiens, cum ante baptismum petiisset. An vero idem teneatur casu, quo principalis in amentiam incideret, non est æque certum: affirmant alii communius ob paritatem rationis; negat cum Lugone et aliis P. Kugler de Matrim. p. 1. q. 10. quod videtur probabilius, si amentia esset habitualis saltem, vel perpetua, eo quod, cum sponsa non præsumatur nubere stulto velle, aut furioso, in hac deficiat consensus; si tamen sponsa edocta de sponsi amentia, nihilominus in consensu persisteret, tenendum videtur cum sententiâ prima ex paritate rationis.

297. Dices 4°. Alia sacramenta nec ministrari, nec recipi possunt per procuratorem; ergo neque matrimonium.

R. N. Cons. Disparitas est, quod nullum aliud sacramentum involvat rationem contractus; e contra hoc sacramentum consistat in contractu, qui ens morale est, et cujus illa est natura, ut fieri possit per procuratores, et inter absentes, modo procuratores præsentes sint, qui sustinent personas principalium.

298. Si instas: Licet quis judicialiter absolvi absens possit in judicio forensi, nequit tamen absolvi talis in judicio sacramentali, sive foro sacra-

menti Pœnitentiæ; ergo similiter licet contractus alius possit celebrari inter absentes, non tamen contractus matrimonii, utpote sacramentalis.

R. N. Cons. Disparitas est, quod in judicio sacramentali confessarius sit iudex dispositionis interioris pœnitentis, et in ferenda absolutionis sententiâ dependeat, secus ac in judicio forensi, a dispositione pœnitentis, eaque præsenti, quando datur absolutio; absentis autem dispositio non potest ita cognita esse confessario; et hæc fuit voluntas Christi nobis intimata per praxin Ecclesiæ, et definitiones Pontificum, Clement. VIII. 20. Junii 1602. item Pauli V. Unde non præcise ideo nequit iudicium sacramentale exerceri inter absentes, quia absolutio est sacramentalis, sed quia est sacramentalis talis ex ordinatione Christi: E contra in matrimonio contrahens non est iudex voluntatis interioris in altero contrahente, neque hic obstat aliqua praxis, vel definitio Ecclesiæ; sed ex hujus praxi potius valor matrimonii ut sacramenti eruitur juxta conclusionem.

299. Dices 5°. Si matrimonium per procuratores contractum sit sacramentum, cur ergo postea principales iterato personaliter contrahunt coram parochi? certe si sacramentum fuisset, iterari non posset.

R. N. Quod iterato contrahant; sed tantum omissas solemnitates tunc sup-
plent, et contractum per procuratores matrimonium rati habendo testantur, se perseverasse in consensu, dum suo nomine contrahebatur matrimonium.

300. Dico V. Licet Christus contractum matrimonialem elevaverit in sacramentum; potest tamen a fidelibus contrahi matrimonium, quod valeat in ratione contractus, quin simul sit sacramentum. Vasq., Rebel., Sylvius aliique recentiores (1).

Prob. I. Juxta communem Doctorum consensum: quando Christus contractum matrimonialem elevavit ad dignitatem sacramenti, vim obligandi, quam ex reciproco pœiscentium consensu hactenus habuerat, ei nullatenus

(1) Verum hæc opinio admitti nequit, post allocutionem habitam a Pio IX. in Consistorio secreto die 27. septembris an. 1852. occasione damnorum, quibus catholica Ecclesia in Neogranatensi Republica affligebatur. Sic enim loquitur laudatus Pontifex:

« Nihil dicimus de alio illo decreto, quo matrimonii sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate omnino despecta, ejusque institutione et natura prorsus ignorata et eversa, atque Ecclesiæ in sacramentum idem potestate penitus sprete, proponebatur juxta jam damnatos hæreticorum errores, atque adversus catholicæ Ecclesiæ doctrinam, ut matrimonium tanquam civilis tantum contractus haberetur, et in variis casibus divortium proprie dictum sanciretur, omnesque matrimoniales causæ ad laica deferrentur tribunalia, et ab illis judicarentur; cum nemo ex Catholicis ignoret, aut ignorare possit, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem Evangelicæ legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris, præter sacramentum, conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a conjugali fœdere sacramentum separari nunquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiæ potestatem, ea omnia decernere, quæ ad idem matrimonium quoque vis modo possunt pertinere. »

ademit, sed naturæ illum pristinae reliquit, et tantum illi superaddidit vim collativam gratiæ, hoc est, rationem sacramenti; ergo sicut antea stabat matrimonium in ratione contractus solius, sic et nunc stare potest, si a contrahentibus impediatur vis sacramenti, scilicet si intenderent solum contractum sine sacramento. *Conf.* A paritate aliorum sacramentorum, in quibus Christus elevando res naturales ad rationem sacramenti ipsarum naturam non immutavit physice, vel moraliter, sed solum addidit vim collativam gratiæ, e. g. in baptismo ablutioni per aquam, quæ vis si impediatur ex intentionis requisitæ defectu, ut certum est illum sic posse impedi, ac proinde sacramentum, adhuc retinebunt id, quod prius erant; sic a pari in nostro casu, si ex mutuo illo consensu ob defectum intentionis sacramentum non fieret, adhuc persisteret ille civilis contractus.

Prob. II. Ut matrimonium valeat in ratione contractus civilis, plus non requiritur, quam ut personæ contrahentes sint jure ad contrahendum habiles, libere reciproce consentiant, eumque consensum coram parocho et testibus signis exterius expriment, quæ est solemnitas requisita jure novo Tridentini: atqui hæc singula et adhibere possunt fideles, licet expresse nolint matrimonium ut sacramentum; ergo.

Nec dicas: Inter conditiones a Christo ad valorem contractus matrimonialis requisitas inter baptizatos esse hanc, ut celebretur cum intentione sacramenti; eo quod ratio contractus et sacramenti ex voluntate Christi inseparabiliter connexa sint; nam hujus voluntatis nullum vestigium, vel indicium habetur, cum nec in Scriptura sacra, nec in Conciliis, nec SS. Patribus a Doctoribus inveniatur solidum aliquod id dicendi fundamentum; quin contrariæ Christi voluntatis fundamentum præbet *Prob. 1^æ*. *concl.* Porro

301. *Si dicas 1^o.* Concilia Florentinum et Tridentinum simpliciter sine ulla exceptione, vel restrictione definiunt, matrimonium inter fideles contractum esse vere ac proprie dictum sacramentum; ergo quocumque casu fiat matrimonium, erit sacramentum.

R. N. Cons. Quia Concilia id solum docere intendunt, matrimonium esse verum novæ Legis sacramentum; Florentinum quidem de hoc instruere volebat Armenos; Tridentinum vero ita definiabat contra Novatores ultimos, absolute negantes matrimonium esse sacramentum. Ut vero fiat sacramentum, dum fideles contrahunt, citata Concilia supponunt contractum celebrari cum conditionibus requisitis, quas inter est intentio illud celebrandi ut sacramentum. Sic citata Concilia licet definiant etiam baptismum, confirmationem, etc. esse sacramenta novæ Legis, non tamen ideo sequitur: ergo quandocumque fit ablutio in aqua, erit sacramentum baptismi; sed ut tale fiat, supponunt adhiberi necessaria ad rationem sacramenti: hinc Florentinum subdit, hæc (Sacramenta) *tribus perfici, rebus ut materia, verbis tanquam forma, et intentione ministri.*

302. *Si dicas 2^o.* Qui agit contra leges latas a supremo principe pro contractu, nec observat ritum contrahendi in republica usitatum, invalide contrahit: atqui hoc fieret, si a fidelibus contrahentibus positive excluderetur ratio sacramenti; ergo.

R. D. Maj. Qui agit contra leges contractum, si aliter fiat, irritantes *C.*

solum prohibentes, ne aliter fiat *N.* Item, nec observat ritum substantialem et essentialem contractui *C.* solum accidentalem *N.* Duplici modo potest princeps præscribere ritum ac solemnitate contractui: primo ut nullus sit contractus, si ritus ille omittatur; secundo ita ut, licet omittatur, jure tamen naturæ obliget; esto, illicite contractum sit. Et hoc posteriore solum modo requiritur ad contractum matrimonii intentio sacramenti, non priore, eo quod Christus, ut dictum, naturam hujus contractus non immutavit, sed solum elevarit, ut, si cum debita intentione celebretur, fiat signum efficac gratiæ.

303. *Si dicas 3^o.* Contractus matrimonialis intrinsece est sacramentum inter Christianos; ergo in potestate contrahentium non est excludere rationem sacramenti, sicut non potest sacerdos separare sacramentum Eucharistiæ a ratione sacrificii.

R. N. Ant. Sicut ablutio corporalis in baptismo non est sacramentum intrinsece sine intentione debita ministri, ita nec matrimonialis contractus. *D. etiam Cons.* Ergo non est in potestate, ut possint licite excludere rationem sacramenti *C.* valide *N.*

Nec inferas: Si possint valide excludere rationem sacramenti, non apparet, cur non etiam licite; nam posita voluntate Christi elevandi contractum civilem ad sacramentum, tam lex naturalis, quam divina obligat, ita matrimonium celebrandum esse, ut fiat sacramentum; sicut supposita elevatione ablutionis in baptismo ad sacramentum utraque lex graviter obligat, ut, dum quis baptizandus est, fiat sacramentum, ne frustranea fiat Christi institutio, et sacramento irrogetur injuria. Deinde *permissio*, sacramentum Eucharistiæ separari non posse a ratione sacrificii propter inseparabilitatem ex institutione Christi; disparitas est, quod Christus non instituerit primo matrimonium in contractum simul et sacramentum, sed natura contractus supposita, quæ antea erat et obligabat ex prima Dei institutione, eum in sacramentum elevarit: at in Eucharistia voluntas eam instituendi in sacrificium non accessit ad rationem sacramenti præsuppositam, sed eadem indivisibili voluntate eam instituit in sacramentum et sacrificium.

304. *Si dicas 4^o.* Saltem sequeretur, pleraque hæreticorum matrimonia sacramenta non esse, consequenter nec indissolubilia, eo quod intentionem non habeant sacramentum conficiendi.

R. N. seq. Quia hæretici habent, et præsumi debent habere implicite intentionem sacramenti, cum saltem habeant intentionem generalem contrahendi eo modo, quo Christus fieri voluit, quæ intentio prævalet persuasioni eorum erroneæ, qua putant matrimonium sacramentum non esse. Cæterum indissolubilitas matrimonii ex eo oritur, quod exprimat unionem Verbi cum humanitate, et Christi cum Ecclesia absolute indissolubilem, quam significationem habet omne et solum matrimonium consummatum inter fideles, scilicet membra Ecclesiæ, etsi validum tantum sit in ratione contractus.

Ex hactenus disputatis sequitur, eos, qui in infantia post baptismum abducti sunt ab infidelibus, nulla habita cognitione de Christi Ecclesia ejusque sacramentis, valide contrahere matrimonium, non secus ac reliquos infideles, inter quos morantur, non autem conficere sacramentum; ad hoc

enim requiritur implicita saltem et confusa voluntas contractum hunc ut sacramentalem celebrandi, quæ esse nequit in iis, qui nullam omnino legis Evangelicæ habent notitiam.

ARTICULUS IV.

QUIS SIT MINISTER SACRAMENTI MATRIMONII?

305. Duas in classes circa præsentem controversiam dividuntur Doctores hodie: *Prima* eorum est, qui, duce potissimum Melchioro Cano in opere de Locis Theologicis, ministrum hujus sacramenti asserunt sacerdotem esse, qui virum et mulierem certa verborum forma simul jungit, inter quos præcipue numerantur Estius, Sylvius, Juenin, Tournely, Habert, et quidam alii præsertim Galli. *Altera* aliorum est et quidem, teste ipsomet D. Habert, *communis apud Canonistas et Theologos tum veteres, tum recentiores*, volentium, virum et feminam contrahentes esse proprios hujus sacramenti ministros, ita ut hi sibi invicem, vir mulieri, mulier viro, hoc sacramentum administrent. Cui sententiæ in quæstione, quæ fidem tam propinque attingit, tanto facilius subscribendum censeo, non tantum, quod pro hac solidissimæ rationes pugnent, sed et tanta sit Doctorum omni ævi auctoritas et consensus, quæ plurimum habere ponderis debet in quæstionibus ejusmodi, et vel maxime apud eos, qui ubique tutiora et probabiliora se alias rimari et sectari profitentur. Quia tamen adversariorum aliqui, ut Honoratus Tournely hic, cupiunt deponi præjudicia, quæ ex tanta auctoritate et numero Doctorum huic sententiæ faventium proficisci possent, et rem controversam librari ex rationum momentis, demus hoc Doctori Parisino, sane honoratissimo, nec ad auctoritatem provocemus, nisi dum ipsi provocant adversarii. Igitur

306. *Dico*. Minister sacramenti matrimonii non est parochus, vel sacerdos, sed sunt ipsi contrahentes, sacramentum hoc sibi mutuo administrantes. Ita sententia communis cum S. Thoma in 4. d. 28. ad Hannib. d. 26. q. un. a. 1. ad 1. et alibi.

Prob. I, Ex Concilio FLORENTINO, quod in Decreto §. *septimum*. ita inquit: *Septimum est sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia secundum Apostolum, causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsentibus expressus*. Ex quo sic argumentor: juxta Florentinum causa efficiens matrimonii est consensus externe expressus; atqui hic consensus non a sacerdote ponitur, sed a contrahentibus; ergo. Hoc argumentum reticet D. Habert; dissimulant alii, enervare conatur Tournely, quocum

Respondent: Concilium loqui de matrimonio, ut contractus civilis est, non ut sacramentum est; matrimonii priore modo sumpti causam effectricem esse consensum contrahentium; posteriore modo sumpti causam efficientem esse sacerdotem vel parochum. Idque, aiunt, ostendit mutata loquendi ratio, qua alias uti solet Eugenius in cæteris sacramentis; statim enim ac dixit v. g. *primum sacramentum est Baptismus*, addit; *hujus sacra-*

menti materia est, etc. nimirum ne rem figeret in scholis hinc inde agitatam. Sed

307. *Contra est*; quod Concilium loquatur de matrimonio ut sacramento. 1º. Quia eo loco ex professo vult docere Armenos in iis, quæ pertinent ad sacramentorum novæ Legis essentiam, ut profitetur palam initio hujus capituli: *Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum faciliiori doctrina sub hac brevissima redigimus formula*. 2º. Armeni nec petebant instructionem circa causam effectricem matrimonii in ratione contractus civilis; nec tali instructione egebant, cum lateret neminem, contractum a consensu contrahentium perfici. 3º. Si Concilium non loqueretur de matrimonio ut sacramento, nihil plane tradidisset Armenis de materia, forma, et ministro hujus sacramenti, quod tamen de aliis sex sacramentis fecerat, et de singulis se facturum promiserat, ut dictum; adeoque doctrina Concilii manca esset, nec stetisset promissis, quod sine ejus injuria dici non potest. 4º. Quia eo loco clare declarat, se matrimonium ut sacramentum explicandum suscipere, cum dicat: *Septimum est sacramentum Matrimonii*. Ut adeo, his singulis collectis, sequatur, vel Concilium loqui de matrimonio ut sacramento, vel nihil dixisse, dicendo, quod a nemine petebatur, et omittendo id, quod necessario explicandum erat.

Nec refert, quod postea simpliciter dicat: *Causa efficiens Matrimonii est*, etc. non enim ita loquitur, *ne figeret rem in scholis hinc inde agitatam*, ut putant adversarii; nulla enim prorsus erat tempore Concilii Florentini hac de re in scholis controversia: Melchior Canus enim, qui primus adversæ sententiæ propugnator communiter habetur, et fuit, Concilio Florentino longe posterior est; sed communis erat tum temporis sententia, si forte unus excipiat Guillelmus Parisiensis, ministros esse ipsos contrahentes: dixi: *si forte unus*, etc. nam de mente Guillelmi pluribus dicitur infra. Interim *permissio* hic tantisper Guillelmum aliter sensisse, gratis tamen dicitur, Synodum noluisse hac in re instruere Armenos, nec declarare mentem suam ob singularem unius viri opinionem, omnibus contrarium unanimiter sentientibus. Certe Magister et aliqui Canonistæ veteres, magnæ tum temporis auctoritatis laudati art. sup., docuerant sacramentum matrimonii non conferre gratiam ex opere operato; nec tamen Doctorum istorum auctoritas obstitit, quominus Synodus definiret, omnia novæ Legis sacramenta, consequenter et matrimonii sacramentum continere gratiam, illamque digne suscipientibus conferre; et quare igitur unius Guillelmi auctoritas obfuerit, quominus synodus juxta communem Doctorum omnium sententiam declararet causam effectricem matrimonii, ut sacramentum est?

Nec dicant adversarii, satis fuisse Synodo docere Armenos, matrimonium esse sacramentum. Nam 1º. sicut satis non erat Synodo docere eos Baptismum, Confirmationem, etc. esse sacramenta, sed simul eos de materia, forma, et ministro cæterorum sacramentorum instruere debuit, quia ita postularent Armeni, et se facturam Synodus promiserat; ita hic. 2º. Quia, si Synodus judicasset, præter contrahentes etiam sacerdotem, vel hunc solum ministrum esse, neque hoc expressisset, occasionem dedisset Armenis in